

justa pecuniæ summa persoluta, restituendis. Quamobrem Joanni Delphino Veronæ Prætori, ut Tridentum proficisceretur, injunctum fuerat. Sed ea res irrito eventu cecidit. De finibus vero cum diu disceptatum foret; initæ quidem fuerunt nonnullæ rationes ad controversias præsentis de medio tollendas, gravissimæ postea difficultates exortæ obstitere, quominus ea, de quibus jam conveniret, perficerentur.

Dum hæc gererentur, eadem, quæ superiore anno rerum maritimarum cura Patrum sollicitabat animos: nam Suleimanus Coronæ amissæ impatiens, ut notam, quam suæ gloriæ inustam arbitrabatur, deleret, summo studio curabat, ut quammaxime posset & numero, & viribus instructiorem classem deduceret: neque minus Auria, ne impar hostibus esset, pro augenda classe enixe laborabat, ut hoc anno, terrestre cessante apparatu, maria ad mutuas vires exercendas latiore campum præbitura viderentur. Quæ res Senatum impulere, ut triremium numero aucto, singula summa solertia provideret, quæ ad maritima Reipublicæ loca defendenda, & maria tutanda pertinerent. Ob id Mauro Corcyræ legato ducenti pedites in supplementum præfidiariis militibus sub Joanne Novocomensi mittuntur: Hieronymo Canali injungitur, ut, cunctis navigiis coactis, Corcyræ in omnem rerum eventum paratus subsistat: sinus Adriatici præfectum cum triremium manu, ut tutum illum a piratarum injuriis præstaret, mitteret: duas quoque cum celocium aliquot numero Zacynthum proficisci juberet, ne quid insulani detrimenti caperent: ad Maleam promontorium magnam navem onerariam destinaret, ut maria procul a prædonum vesana avaritia, atque ingluvie pacata negotiatoribus redderet: quæ omnia Canalis vir impiger, maritimaque disciplina clarus, uti jussus fuerat, perfecit. Franciscus Dandulus præfectus ad Adriatici sinus custodiam missus, cum iter quinque cum triremibus in Dalmatiam direxisset, atque ad Safonem, in maritima Epiri ora situm, quod parum ab Aulone distat, procul duodecim Africanas biremes conspexisset, Venetas arbitratus, nihil flexo itinere, cursum tenuit; mox propius intuens, prædatorias esse animadvertens, immutato itinere, in altum provectus, capessere pugnam minime ausus, cum vix in conspectum hostis ve-

1533
Joannes
Delphinus
Tridentum
mittitur.

Veneri clas-
sem augent.

Mandata
Senatus ad
Hieronymum
Canalem.